



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.  
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni  
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &  
Aquilejense Schisma describitur**

**Noris, Enrico**

**Patavii, 1708**

§. 4. Schismaticorum Episcoporum Synodus apud Gradum cogitur.  
Pelagius II. literis, dein per Smaragdum Exarchum eosdem compescere  
conatur. Plurium Scriptorum de Patriarchis Aquilejensibus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

Gregorii monasterium, ac viris sanctitate illustribus florebat, dicendum videtur triennium ad minus effluxisse, ex quo Gregorius urbanam præturam gerebat, eā enim perfunctus est vivente adhuc genitore, quo mortuo sex in Siciliā cœnobia, unumque insuper Roma in paternis ædibus construxit, ubi Monasticam professus est; quæ non tam citò contigeret, quin ad minus sub Benedicto Papā illa accidisse videantur. Certè cùm ex Joanne Diacono, qui vitam Gregorii scripsit, hic in monasterio Sancti Andreæ Hilarione, ac Maximiano Magistris monachi vitam egerit, ac postmodum Abbas fuerit, quæ inter precum officia recitat Ecclesia in festo Gregorii, aliquot annos in cœnobia vixit. Protecto libro 3. Dial. cap. 33. de Eleutherio Abate dicit: *Diù mecum est in hac Urbe in meo monasterio conversatus.* Diù ergo ille in monasterio vixit. Quare in eam sententiam relabor, ut existimem anno 571. Gregorium urbanam præturam obivisse, quo anno Laurentius novus Mediolanensem Antistes cautionem de tribus capitulis damnandis Romam ad Joannem transmisit. Etenim non illam misit mortuo æmulo Frontone anno 581. tunc enim, ut evidenter probatum est, Gregorius Constantinopoli Apocrisarius morabatur, quare id illum executum colligimus, cum primum Mediolanensem sacræ præfectus est; nam eo tempore talem cautionem ab Episcopis exigi solitam testatur Gregorius lib. 3. Indict. 12. Epist. 2. ad Constantium ubi ait: *Quamvis decessor fraternitatis tuæ Laurentius distictissimam cautionem Sedi Apostolice remiserit, in quâ viri nobilissimi ex legitimo numero subscripti sunt, inter quos ego quoque tunc Urbanam præturam gerens pariter subscripti.* Qui a postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiæ in Sacerdotum mensibus per omnia custodiret. Vides ergo à novis Episcopis transmitti solitam cautionem, quâ tria capitula ejurabant. Illam ergo Laurentius misit anno 571. & sub id temporis rectius Gregorii urbana prætura statuitur. Quare teste eodem Pontifice à Pelagi I. temporibus, quando in Italij ob tria capitula plerique Episcopi à Romanis Pontificis communione discesserant, dum quisque novus Antistes eligebatur, scripto tria capitula damnabat, ac ad Romanum Pontificem chirographum transmittebat, ut jam Halloix aperte fallitatis reus habeatur, qui Benedictum, ac Joannem decessorem tria capitula minime damnasse, affirmare non dubitaverit. Annus, quo Gregorius Monachum induit, certus figi non potest, attamen post annum 571. id accidisse ex dictis liquet. Cūm verò ex recitato miraculo ad sepulchrum Sancti Meruli anno 579. Gregorii monasterium viris sanctitate illustribus floreret, intra illud septenium Monachatus ejusdem initia statuenda veniunt. Interim mihi planè certum videtur, Gregorium à Pelago Secundo & Diaconum, & Apocrisarium ad Tiberium elestum fuisse; etenim in præfatione ad libros Moraliū hæc ait: *Eo quoque tempore, quo ad ministerium altaris accessi, hoc de me, ignorantе me, actum est, ut sacri ordinis pondus acciperem, quatenus in terreno palatio licentius excubarem.* Eo igitur consilio à Pelago Diaconus factus est, ut ad Tiberium Apocrisarius mitteretur, nam Diaconi eo munere juxta antiquam consuetudinem fungebantur teste eodem Gregorio lib. 11. Epista 34. ad Phocam Augustum.

## §. IV.

*Schismaticorum Episcoporum Synodus apud Gradum cogitur. Pelagius II. literis, dein per Smaragdum Exarchum eodem compescere co[n]atur. Plurim Scriptorum de Patriarchis Aquilejenis Schismaticis dieta corriguntur. Pelagium Vigiliū Constitutum novissime contrà Halloix demonstratur.*

Benedictus exacto in Pontificatu quadriennio ad superos transit. Succedit alter Pelagius, cuius initia Hollenius post Sigonium, ac Panvinium in Diagrammate laudato ponit anno 579. die 9. Novembri. Non assentior; nam anno 579. die 18. Februarii scriptis Pelagius ad Heliam Antistitem Aquilejenem, & anno eodem tertio Nonas Novembbris idem Pelagius iudebat ex actis Synodi Gradensis, ut mox parebit. Sed neque anno 577. initia Pelagi statui possunt cum Baronio, quia Abbas Bielaren[sis], qui tum temporis viyebat, annos XI. illum sedisse scribit: quod etiam antiquâ manu infartum lego Chronico Tunonensis perperam ad annum 37. Justiniani. Obiit autem Pelagius die 8. Februarii 590. Anno ergo 578. Pelagius fit Pontifex. Universa Italia Synodum V. receperat. Soli Transpadani, Istri, ac Veneti, eidem refragabantur, quod eoscuriū faciebant, quod sub Longobardorum imperio degebant: unde contrà Romanum Pontificem pro tribus capitulis acerrimè diù ab ipsis pugnatum est.

Paulinus, quem literis ad Narsetem datis Pelagi I. insecurus fuerat, capti à Longobardis Aquilejæ sacram omnem supellecilem in Gradi insulâ, quæ propè urbem in aestuarii sita est, servandam curaverat, illo verò mortuo, atque ejusdem successore Probino intrâ annum extincto, Helias Archiepiscopus renunciatus fuerat. Hic cùm Aquilejæ inter Christianæ rei infensissimos hostes haud tuto se degere posse animadverteret, Pelagium II. rogavit, ut Metropolitana sedes Gradum transferretur, ubi & templo Martyri Euphemiae sacrum ædificaret. Pelagius tūm ut initio Pontificatus Schismaticorum Principem collatis beneficiis erga Apostolicam Sedem reverentiore faceret, tūm quod sub Romano imperio viventem facilius ad obedientiam revocari posse intelligebat, Helia precibus annuit delegato etiam Laurentio Presbytero, qui cum literis Pontificis Synodo provinciæ eā de causâ celebrandæ suo nomine adesset. Coacta est Synodus apud Gradum die 3. Novembris anno 579. Illam recitat Dandulus in Historiâ Venetâ MS. eamque refert Ughellus tomo 5. Italiae sacrae in tabulis Aquilejenium Patriarcharum, cuius hocce legitur initium: *Imperante Screnissimo Tiberio Constantino Augusto Anno imperii ejus quinto eodem consule sub die 3. Nonarum Novembrium Indictione 13. Sunt nobiles caræcteres, que si safi avinii, & aliorum corriguntur; nam ex præmissâ dissertatione Chronologicâ constat annum illum esse 579. nostræ Epochæ. Panvinius tamen anno 580. Tiberii consulatum ponit; sed anno superiori prius Consulem fuisse constat ex Chronico Alexandrino, ubi habemus hæc ipsa: Indictione XII. Tiberii I. Tiberio juniori Constantino primū Consule. Qui cùm anno 578. Justino successerit, anno novo consulatum inîvir. Hoc ipsum patet ex subscriptione Tiberii pau[lo] ante mortem Mauricio iam ad imperium vocato,* in

# De Synodo Quinta.

51

in quā scribitur: *Totū consilium ejus III. quæ posita est S. præced. Cū verò decretum illud emissum sit anno 582. palam est, anno 579. Tiberii consilium recitandum. Præterea tertio Nonas Novembris la- beatur annus V. Tiberii, quod optimè inscriptio ni superius posita quadrat. Ex hoc etiam codice Synodali Baronii sententia de longiori Justini impe- rio refellitur, ac Pelagii tempora melius innotescunt.*

*Lecta est Epistola Pelagii Papæ, cuius in his ver- bis summi continetur: Quapropter vestro compatiens mœrori necessitudinem, imo etiam rabiem furentium perpendentes Longobardorum, inclinati precibus vestris per busus precepti seriem supra scriptum Castrum Graden-*

*Helias Sancta Ecclesia Aquileiensis Episcopus his Laurentius Presbyter Apostolicae Sedis Legatus.*

*Marcianus Episcopus S. E. Opiterginæ.*

*Leomanus Episcopus S. E. Teboricensis.*

*Petrus Episcopus S. E. Altinatis.*

*Vindemius Episcopus S. E. Cenetenensis.*

*Clarissimus Episcopus S. E. Celicana.*

*Tatritius Episcopus S. E. Hemonensis.*

*Maxentius Episcopus S. E. Julienensis.*

*Severus Episcopus S. E. Tergestina.*

*Solatius Episcopus S. E. Veronensis.*

*Joannes Episcopus S. E. Parentinæ.*

*Aron Episcopus S. E. Aventiensis.*

*Marcianus Episcopus locum faciens viri beatissimi Virgilius Episcopus S. E. Scaravasiensis.*

*Fonetus Episcopus S. E. Feltrina. )*

*Ingenuinus Episcopus secunda Rhetia. )*

*Agnellus Episcopus S. E. Tridentina. )*

*Marcianus Episcopus S. E. Peteneensis. )*

*Joannes Episcopus S. E. Celejane. )*

Extat in Bibliothecâ Vaticanâ codex Num. 3922. in quo pag. 24. iidem Episcopi cum actis ejusdem Synodi recitantur. Illi autem Antistites Aquileiensis Metropolitæ subjecti erant, cuius amplissima erat jurisdic̄tio, nam à Pannoniâ Secundâ usquæ ad Abduam in Insubriâ extendebat. Continebat Rhætiam II. cuius metropolis Sabio, ubi erat Episcopus Sanctus Ingenuinus; Noricum, cuius primaria urbs erat Tiburnia ad Dravum, quod patet ex Vitâ Sancti Severini Noricorum Apostoli, Ternua Plinio lib. 3. cap. 24. quarè Leonianus Tiburniensis dicendum venit. Denique complectebatur Istriam, Forum-Julium, ac Venetiam, quæ provincia uno Istria nomine id temporis, ac in Sextâ Synodo vulgo appellabantur. Virgilius Scaravasiensis in Pannoniâ Episcopus fuit; hinc puto legendum Scarabantiensis, quæ urbs non procul à Danubio propè lacum sita erat, & in Norico ponitur à Plinio proximè laudato. Hujus urbis cives olim Sancti Quirini Episcopi corpus Romanam detulere ex Surio die 5. Junii in Vitâ ejusdem. Ex his Aquileiensis Metropolitæ diocesis amplitudo paret. Maxentius recte in codice Danduli scribitur Episcopus Julianus, nam & hoc pacto conscriptus legitur in pseudosynodo Maranensi. Palladius lib. 1. Rerum Foro-julienorum scribit, hunc Maxentium suisse Utinensem Episcopum, tunc enim Utinum, inquit, Julianum, seu Forojulium promiscue dicebatur; addit sedi se eundem statim post Asterium, qui interfuit Synodo Romana sub Hilario Papâ, cuius successor fuit Theodorus Forojuliensis, ad quem extat Leonis Papæ Epist. 89. Haec profectò à vero exorbitant. Nam Theodorus ille, ad quem scribit Sanctus Leo, fuit Episcopus Forojuliensis in Galliâ: est autem Forojulium in Provincia Narbonensi, Octavianorum olim colonia Plinio memorata urbs lib. 3. cap. 4.

se totius Venetia cum omnibus vestre Ecclesiæ pertinentibus etiam Iberia Metropolitum perpetuò confirmamus. Dicitur Epistola data XII. Kal. Martii Imperatore Tiberio II. Augusto. Lectis literis acclamatum ab omnibus; Exaudi Christe, Pelagio vitam: omnes uno consensu Sanc- tissimi Pelagi preceptionem, & vestram sequimur confirmantes sententiam. In fine verò Epiphanius jussus est, Patrum decreta legere, statimque definitio fidei Synodi Calchedonensis lecta est, pro illâ enim Synodo Antitrites illi mordicū stabant. Episcopi subscripti non eodem modo in laudato codice Danduli, & in MS. Barberinæ Biblioth. N. 247. quod apud eundem Ughellum in tabulis Gradensibus legitur, exhibentur. gestis subscripti.

B. Leonianus Tiburniensis.

B. Clarissimus Concordiensis.

B. Petrus.

B. Velienensis.

B. Avoricensis.

Ingenuini S. E. Sederestiae.

B. Caranensis.

In codice Eminentissimi Barberini hi quinque insuper numerantur.

quam veterem, & illustrem coloniam vocat Tacitus initio vitæ Agricolæ socii, qui eandem urbem habuit patriam. Idem verò Theodorus cum Lerinenibus Monachis litigavit, undè celebrata est sub Ravennio Synodus Arelatensis. De hoc Theodoro alia diximus lib. 2. Hist. Pelagianæ cap. 3. & 11. Astérius Theodori successor vivebat tempore Synodi ab Hilario Papâ celebrata anno 455. Basilico, & Herminio Coß. nam eandem subscriptis, ut ex actis patet. Quomodo ergo huic immediatè successit Maxentius, quem post centum & quatuordecim annos sedisse certum est? Forojulium in Italiâ erat in diocesi Episcopi Aquileiensis, neque unquam Episcopum habuit ab Aquileiensi Metropolitâ distinctum, ut mox ex Paulo Diacono Forojuliensi ostendam. Theodorum verò ut suffraganeum Metropolitæ monet sanctus Leo: *Solicitudinis quidem tua is ordo esse debuerat, ut cum metropolitanu tuo primitus de eo, quod querendum videbatur esse, conferres.* Maxentius erat Episcopus Julii Carnici. *Julientes Carnorum* Plinio dicti lib. 3. cap. 19. nunc Zuglio dicitur tribus M. P. suprà Tolmetium oppidum. Paulus Diaconus lib. 6. de Gestis Longobardorum cap. 51. de Fidentio Episcopo scribit: *De Castro Juliensi cum voluntate superiorum Ducum inr. Forojuliani castri muros habitavit, ibique sui Episcopatus sedem statuit.* Ex quibus patet Julianum, & Forojulium haud fuisse unam, eandemque Urbem, ut putabat Palladius. At Callistus Patriarcha Aquileiensis, qui tunc Cormone residebat, indigatus, inquit idem Diaconus, *quid in ejus diocesi cum Duce, & Longobardis habitaret Episcopus, vi Fidentium expulit.* Itaque Forojulium erat in diocesi urbanâ Antistitis Aquileiensis, ad quam urbem Julio Carnico destructo permittentibus Ducibus Longobardis Fidentius receperat, atque etiamnum Forum-julium est

est in diœcesi Patriarchæ, neque unquam proprium Episcopum habuit. Fuit autem Forojulum urbs provinciæ quondam primaria, ac Principum sedes. Cluverio, Sabellico, aliisque doctioribus est Cividal di Friuli ad Natisonem. At Henricus Palladius lib. 4. rerum Foro-julien. contendit, Utinum esse Forum-julium. Mihi tamen hæc opinio probari nequit, nam Paulus Diaconus civis Foro-julien sis lib. 5. de Gestis Longobardorum cap. 23. de Selavis scribit: *Congregata validâ multitudine voluerant super Forojulianorum castrum irruere. Et venientes castra metati sunt in loco, qui Broxas dicitur, non longe à Foro-julio. Cùm vero Vvectaris Dux provinciæ cum paucis contrâ barbaros moveretur, ait: Quem Selavi cum paucis ventre conspicientes irraserunt, dicentes, Patriarcham contrâ se cum Clericis adventare. Qui cùm ad Pontem Natisonis, qui ibidem est, ubi Selavi residabant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens, rulum suum Selavis ostendit.* Ex his constat, Utinum non esse antiquum Forojulum, longius enim abest à Natisone. De quo tamen nolo cum Uticensibus, quos sacras apud ipsos conciones habens anno 1668. mei amantissimos sum expertus, in præsenti litigare. Clarissimus Episcopus Ecclesiæ Celicana, in MS. Barberino Concordiensis appellatur, ego quidem Celinanæ legendum arbitror, etenim Concordiâ ab Attilâ funditus everfa, hujus urbis Episcopus Celinam se contulit. De hoc oppido, quod in diœcesi Concordensi nobile fuit, agit pluribus Cluverius lib. 1. Italia antiquæ cap. 18. Apud Maniacum in lapide Celinenses inscribuntur. Reliquæ urbes, quarum Episcopi in memoriam Synodo leguntur, notissimæ sunt, unoque aspectu videri possunt in Tabulâ Cluverii laudati cap. 16. itemque de illis agit Ughellus tomo 5. Italiae sacræ. Nonnulli etiam illorum Episcoporum memorantur Paulo Diacono in Historiâ Longobardicâ. Agnellus Tridentinus ab Agilulpho legatus missus fuit ad Francorum Regem lib. 4. cap. 1. Libro vero tertio cap. 27. quinque ex iisdem nominat, itemque alios tres, sed textu planè corrupto, ut paulò post nobis adnotabitur.

Hæc itaque Synodus Metropolitanam Sedem Aquilejensem Gradum transtulit apud Ecclesiam Sanctæ Euphemiaæ ab eodem Heliâ in eâ insula extream. Ceterum in hac Synodo contrâ V. Concilium Schismatici Episcopi iterum jurarunt vano eo prætextu, ne Synodus Calchedonensis laderetur. In laudato enim Chronicô Aquilejensi ita legitur: *In qua Synodo quicquid de Calchedonensi Concilio dubitabatur, pulsâ dubitatione confirmatum est.* Et apud Dandalum habemus, eos Episcopos demonstratâ Synodo Calchedonensi subscriptisse. Has vices Apostolicæ Sedem retulere, quæ dum novo favore Sedem Metropolitanam procul à barbarorum incursionibus tunc loco reponi concedebat, specioso illo titulo Synodi Calchedonensis defendendæ velut per cuniculos ab ingratissimis impetrabatur. Certè eo beneficio Schismatici collato nihil Pelagio peractum est. Ex illâ autem Sedis translatione factum est, ut Metropolitæ promiscue Aquilejenses, vel Gradenses dicerentur; ita Sanctus Gregorius Severum Heliæ successorem Episcopum Aquilejensem dixit lib. Epist. 16. Gradiensem verò lib. 11. Epist. 38.

Post hac Tiberio Principe Orthodoxo, ac religiosissimo Persico bello occupato, atque anno 582. defuncto, Schismatici periculis temporibus in rebellione perseverarunt. Etenim Longobardi in dies imperium per Italiam protendebant, neque Exarchi à

Mauricio Imperatore in Oriente bellum gerente eas suppetias accipiebant, queis hostium vires frangere, aut sustinere saltem possent. Schismatici, quod sub Barbarorum imperio vivebant, securiis in errore perseverabant; pauci verò Episcopi, qui maritimis Istriæ Urbibus præterant, haud vi ad obedientiam cogi poterant, ne ad proximos Longobardos rebellarent. Denique cùm anno 586. Longobardi Francorum Regis cum validissimis copiis adventum reformatantes inducias cum Flavio Smaragdo Exarcho statuissent, Pelagius Pontifex, quod jam dñi in votis habuerat, tandem adnixus Schismaticis ad Ecclesiam reducendis manum admovit. Itaque Redemptum Episcopum, unâque Quedvultdeum Abbatem ad eodem Legatos cum literis misit, ut rogati ad pacem venirent. Era Redemptus Episcopus Ferentinus laudatus à Sancto Gregorio lib. 3. Dialogorum cap. 38. & paulò post hanc legationem decepsit; nam à septen- nio illum obitile scribit, cùm dialogos exararet, quos constat ex dictis anno 593. ab eodem conscriptis esse. Porro literarum Pelagiæ hæc erat inscriptio, exordiumque: *Dilectissimis Fratribus Eliæ, aliisque Episcopis, universis filiis in Ecclesia Istria partibus constitutis Pelagius Episcopus S. E. Catholicæ Urbis Romæ.* Quod ad dilectionem vestrum fratres, filiique charissimi nostra tardius scripta dirigimus, non malevolæ voluntatis, aut dissimulationis, vel negligentiæ fuisse credatur, sed, sicut nostis, temporalis qualitas, & hostilis necessitas hæc- nus impedivit &c. Postea ergo quam Deus omnipotens pro felicitate Christianorum Principum per labores, & sollicitudinem filiù nostri Excellentissimi Smaragi Exarchii, & Carthularii scriptorium pacem nobis interim, vel quietem donare dignatus est, cum omni sollicitudine festinamus presentia ad vos scripta dirigere portantes, & obsecrantes, ne in divisione Ecclesiæ ulterius quisquam studeat permanere &c. Pluribus inculcat in sola unitate fidei procul à schismate homines salvari posse, deinde concludit: *Si quid forte causa est, unde vestri scandalizati animi videantur, manentes in unitatis charitate, eligite de fratribus, ac filiis nostris, quos ad nos inquirendo, de quibus movemini, transmittere debeatis, & priuati sumus secundum preceptionem Apostolicam, & cum charitate eos suscipere, & cum humilitate ad placita satisfactionis reddere rationem, & sine impedimento aliquo cum omni dilectione, quando reverti voluerint, voluntate sincerissima relegare.* Quo anno data sint ha literæ, non indicatur, sed ex induciis à Smaragdo stabilitis anno 586. scriptæ intelliguntur.

Helia, ac collegæ Pelagiæ legatione auditâ tantum abest, ut à diuturno schismate discesserint, quin potius Apostolicam Sedem non minis, sed precibus secum agere animadvertisentes, ac proinde in superbiam elati suos & ipsi cum literis Nuncios Romanos misserint, execrabilis superbiam mandantes, ut literis Papæ datis, ne verbum quidem supra adderent. Non despontit animum Pelagius, sed quod aberrantes oves ad Domini caulam revocaret, iteratò ad eosdem scriptis. In iis autem literis de Iltrorum ad se missis nunciis ita fatur: *Scripto nobis quasi capitulare, vel interdictum potius ostenderunt, nihil injunctum sibi à vobis aliud afferentes, nisi ut vestrae tantummodo essent portatores Epistolæ, in qua tamen nullam rationis satisfactionem quæsse vos legitur, sed velut judicatum quid expressisse.* Adeò superbè cum Apostolicâ Sede illi Episcopi agebant, quasi jam supremi essent Ecclesiæ judices. Porro eorum recordiam, ac tumorem perstringens Pelagius ait: *Nolite ergo amore jaellantiæ que superbia semper est proxima, in obstinationis vitiis permanere,*

# De Synodo Quinta.

53

*nare; quando in die judicij nullus vestrum excusare se valeat, & neque THEODORUS MOPSUESTENUS, neque Iba Epistola, quo ab adversariis est prolat a, ante tribunal tanti Judicis vobis valeat subvenire. Hortatur iterum, ut suorum quosdam Romam mittant omnium rationem lucidissimam percepturos, vel si eos itineris incommoda remorantur, Ravennam saltem quosdam delegent, & illuc, inquit, Ravennae fiat congregatio Sacerdotum, quod nos etiam, qui loco nostro intersint, divinitate proprietatem dirigemus, a quibus satisfactionem plenissimam capiat is, ne amplius anima simplices divisae à Sancta Ecclesiā pro superfluis questionibus tam longā obstinatione remaneant, nec per nos, quos Dominici gregis decet esse Pastores, oves a septis Ecclesiasticis evagantes rapacis lupi dentibus consumantur. At illi & factum defendere, suamque stultitiam Pelagio instillare longiore Epistolā pertinuerunt. Quare benignissimus Pater tertio jam tandem rebelles filios prolixā fatis ad eosdem datā Epistolā monere non desistit, in quā lacrymabundus hæc præfatur: *Dum nibil apud nos reperi admonitionis meā verba proficerē, flens, gemens que cum prophetā cogor exclamare, curavimus Babylo-**

Jerem.  
51.

*nem, & non est sanata &c. Pensate quæso hoc, quod dicere nisi singulu interrumpente non valeo, longo divisionis sensu quanto mentis frigore fraternitas vestra torpuerit, quæ nec confritia recalesceat. Deinde Synodus Calchedonensem, quod ad fidei decreta spectat, nihil per Concilium V. lœsan ostendit, idque ex Sanctis Leonis Epistolis probat. Apostolicam Sedem factut inīcio per Vigilium Papam noluisse tria capitula damnare, quæ tamen causā postea diligenter discussa Vigilio eodem Auctore proscriptis; ibique Theodorum hæreticum ex Sanctis Patribus ostendit, ac Theodoreti libros contrā Sanctum Cyrilum, itemque Epistolam Iba omnino damnandam esse demonstrat. Illud verò quā maximè Pelagio displacebat, quod Istri Episcopi ab Apostolicā Sedem communione se suspenderant, contrā quam etiam interdictum teste eodem publicarant. Quare in hisce postem literis gravissimum eorundem crimen arguit: *Cur non ad memoriam pro unitate servandā Beati Augustini dictum reducitur? qui dum de unico baptismate loqueretur, idecirco Cyprianum Martyrem, qui de iterando baptisme scriperat, defunctum peribuit, quia licet pravum quid senserit, nunquam tamē à totius Ecclesiā communione suspendit. Has literas Pelagii Papæ scriptas fuisse à Sancto Gregorio auctor est Paulus Diaconus lib. 3. de Gestis Longobardorum cap. 20.**

Sed ne hilum quiden proficit Pelagii patientia diutinior. Quare cùm surdis se canere intelligeret, abiecto calamo armata manu cum Schismaticis agendum ratus Smaragdum Exarchum contrā eosdem per literas concitat, qui Pontificis iussa impigrè executus minaces ad Heliā, reliquosve, qui sub Imperatoris potestate erant, literas dedit obediētiā erga Apostolicam Sedem imperatā. At illi coacta Synodo Oratores ad Mauricium mittere decreverunt, a quo etiam, ne quid molestia ipsiis inferretur, subdolā statim arte impetrarunt. Hoc tradunt Schismatici in libello ad eundem Mauricium sub Gregorio Papā transmissō: *Dum Smaragdus, inquietus, gloriosus Chartularius Patrem nostrum sanctam mem. Heliā Archiepiscopum Aquilejensis Ecclesiā pro causā ipsā pluribus vicibus contristaret, cum nostrum omnium consilio, atque consensu direxit ad pia vestigia principatus vestri preces supplicans, ut expectata Dei misericordia, revocatis omnibus consacerdoti-*

*bus Synodi nostrae in potestatem sancte Reipublice, ad vestre clementiā præsentiam veniretur, & vestrum in ipsā causā expectaretur judicium, quod pietas vestre mansuetudinis ad mercedem, & laudem imperii sui clementiā dignatione suscipiens, iussionem suam dedit ad prædictum gloriosum Smaragdum, ut nullatenus quemquam Sacerdotum pro causā communionis inquietare presumeat. Ita stultissimi Episcopi (hoc enim nomine eos Sanctus Gregorius sugillat) ad profanum Principis tribunal sibi volebant. Quare Mauricius Smaragdo, ne quid novi contrā Schismaticos moliretur, injunxit, ne provinciæ illæ à Barbaris vexata novis tumultibus importuno prorsū tempore implicarentur. Ceterū paulò post Heliā decessisse iidem affirman, cui in Synodo sufficitur Severus Ravennas. Paulus Diaconus citatus ita scribit: *Pelagus Heliæ Aquilejensi Episcopo nolenti tria capitula Calchedonensis Synodi suscipere Epistolam satis utilē m̄ sit, quam Dux Gregorius, cum adhuc esset Diaconus, conscripsit. Qui sanè auctor rem ignoravit. Heliā etiam pro tribus capitulis Synodi Calchedonensis turbatis schisma sovebat. Hinc planè vulgata apud Scriptores rerum Forojuliensium de Heliā opinio rejicienda est; etenim in Manichæorum illum hæresim delaplum fingunt, indeque Pelagii Papæ literis revocatum, quod in elogio in aulā Patriarchali Utini eidem Heliæ inscripto etiamnum legitur, quam Manichæam hæresim Heliā quoque successori Severo perperam afficiant, ut mox apparebit.**

At Smaragdus, cùm accepisset, Severum pro tribus capitulis acerrimè depugnare, veritus ne & vicinas regiones schismate inficeret, cùm Istriæ Urbes inviseret, classem ad Gradum appulit, Severum in Ecclesiā cepit, ac militari licentiā injuriis, ac verberibus laccisatum secum Ravennam deduxit, ubi coram Joanne Archiepiscopo tria capitula damnare coactus fuit. Siganus lib. 1. de Regno Italiae ad annum 586. Panvinius lib. 5. Antiquit. Veronen. cap. 9. Rubeus lib. 4. Hist. Ravennat. eosque secuti Recentiores Palladius lib. 1. Hist. Forojuliens. Ughellus tom. 5. Italia sacra in tabulis Patriarcharum Aquilejensium scribunt, Severum Ravennæ Joanne Episcopo cogente Manichæorum hæresi nomē dedisse: Joannem, illum inquam Antistitem doctissimum, cui & Sanctus Gregorius Magnus libros de curā Pastorali statim Pontifex nuncupavit, ac tot literas dedit, ejusque morti se indoluisse testatus est lib. 4. Epist. 23. tanto crimine infamantes. Sinistra illa opinio ex Pauli Diaconi errore proximè memorato effluxit. Ceterū unā cum Severo Ravennam deportati etiam fuerant tres alii Episcopi Joannes Parentinus, Severus Tergestinus, ac Vindemius Cenensis ex Chronico MS. Aquilejensi, qui anno 570. Synodo sub Heliā apud Gradum interfuerunt, & hi quoque tria capitula damnarunt. Hic Pauli Diaconi textus corrigendus est, qui cùm lib. 3. cap. 27. dicat tres Episcopos cum Severo Ravennam deductos, postea in fine capituli editionis Grotii eos veluti quinque recentes hoc p̄cto: *Severus Parentinus, Joannes Patricius, Vindemius, ac Joannes; nam ita prorsū legendum est: Severus Tergestinus, Joannes Parentinus, Vindemius.* Idem verò Scriptor ibidem ait de Smaragdo, vi illos in Joatinis Ravennatis sententiam adegitse: *Quibus, inquit, comminans exilia, atque violentias inferens communicare compulit Joanni Ravennati Episcopo trium capitolorum damnatori, qui tempore Vigilii, vel Pelagii à Romana Ecclesiā desciverat societate.* Ita Catholicum Episco-

pum

pum, ac Romane fidei vindicem ob historiae ignorantiam ab Apostolica Sede rebellem fingit. Hinc deceptus Petrus de Natalibus Episcopus Equilintus lib. 3. de Vitis Sanctorum cap. 86. Joannem Ravennatem Hæreticum, Schismatics vero sanctos Episcopos nuncupavit. De hac Severi captivitate hac scribunt Schismatici ad Mauricium: *Totus hoc ordinato in Sancta Aquilejensi Ecclesiæ beatissimo Archiepiscopo nostro Severo, qua contumelie illatæ sint, & quibus iniuriis, ac cæde corporali fustium, & quâ violentiâ ad Ravennatem civitatem fuerit perductus, atque redactus in custodiam, quibus re necessitatibus oppressus, atque contritus fuerit, potuit ad Domini nostri pias aures sine dubio pervenire.* Ex quibus patet, errare Sigonium dum scribit, Smaragdum ob captum, vexatumque Severum à Mauricio ex Italâ revocatum dato eidem successore Romano Patricio, nam Schismatici hoc minimè reticuerint, neque an factum Imperatori innotuerint, subdubitassent. Manuscripta Aquilejensia Smaragdum uti sacrilegum à Dæmone invasum fuisse comminiscuntur, hæc enim Schismatici publicabant, queis plebem in errore detinerent; idem etiam à Paulo Diacono libro citato dicitur à Dæmonio non iustè corruptus. Cæterum Severus, ac collegæ post annum liberi dimissi sunt.

Interim ubi per Istriam, ac Venetas vulgatum est, Severum, ac collegas Ravennæ tria capitula condemnasse, eorum prælitiū singuli quique fugiebant, nec ante communioni Ecclesiastice admissi sunt, quâm in Synodo iterum pro tribus capitulis cautionem dato Sacramento præstarent. Indicta autem fuit Synodus Marani, quod munissimum modò Venetorum oppidum est stagnis Adriatici maris ferè circumdata in Forojuliensi littore ad Celinam amnem situm. Decem Episcopos eō convenisse scribit Paulus Diaconus lib. 3. cap. 27. Post hæc, inquit, facta ejus Synodus decem Episcoporum in Marano, ubi repperunt Severum Patriarcham Aquilejensem dantem libellum erroris sui, qui atrium capitulorum damnatoribus communicarat Ravenna. Non fina vero Episcoporum in editis libris ita recensentur: *Petrus de Altino clarissimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronensis, Horuntius Vicentius, Rusticus de Tarriso, Fonsius Feltrensis, Agnellus de Aciolo, Laurentius Lunensis.* At si decem convenere, cur novem tantum Schismaticorum nomina exprimuntur? Et hic error in codicem irrepit, nam clarissimus malè apponitur, ut epithetum Petro Altinati, est enim nomen Episcopi Concordiensis, qui anno 579. alteri Synodo interfuit. Itaque hoc pacto legendum est, *Petrus de Altino, Clarissimus de Concordia.* Laurentius etiam Bellunensis dici debet, neque enim Lunensis Episcopus in Liguria ad Macram erat suffraganeus Aquilejensis Metropolite, & in altera Synodo proxime habitâ scribitur Laurentius Bellunensis: est autem Bellunum Venetiæ urbs. Porro omnes ferè illi Episcopi Synodo anni 579. nomen dederant Tarvianus tamen, & Vicentius tunc non adfuere, & Solacio Veronensi Junior subrogatus fuerat. De hoc Juniore scribit meus Panvinius lib. 5. Antiq. Veron. cap. 9. interfuisse Maranensi Synodo, in quâ Manichæi errore damnato Severus iterum & sue Seddi, & Ecclesiæ Catholice redditus fuit. Qui Sancti Ingenuini Sabionensis gesta perscripsere, idem restati sunt, imò inter sacra officia precum Ecclesiæ Brixinensis in Rhætiâ hoc ipsum recitatur, sed quâ procul à vero ista absunt, satis manifestum est. In Patriarchali aula Utini hocce elogium inscriptum

legi. *Severas... Ravennam injuriosè ductus, coactusque Manichæis assentire à Gregorio I. Papâ ad Catholicam veritatem redire revocatus, quam in Episcoporum provinciali Synodo publicè professus sanctè vixit, obiitque.* Ita & muri suas fabulas cantant. Quid enim veri in totâ illâ inscriptione? Nec Ravenna Manichæis, sed Catholicæ Ecclesiæ assensus est, nec à Gregorio Papâ id actum, cùm enim hic Pontificatum iniit, à triennio Smaragdus Constantinopolim redierat, & initio statim sui Pontificatus questus est Gregorius cum eodem Severo, quod à fide Ravenne data deservisset lib. 1. Epist. 16. Qiām vero sancte vixerit, qui pervicax, in quo diu fuerat schismate, mortuus est, ut dicemus, nemo non videat.

Anno 590. Pelagius II. & Longobardorum armis, & Schismatiscorum dissidiis turbata Italâ, ac Romæ pestilentia seviante, eadē iectus è vitâ dilectiss. Hic Synodus V. non solum decretis intatus est, rerum etiam integrum cā de re volumen procedit de quo hæ scribit Sanctus Gregorius lib. 2. Indict. 10. Epist. 36. ad Episcopos per Hibericam. Ut igit̄ de tribus capitulis animis vestris ablata dubitaret posse satisfactio abundantanter infundi, librum, quem ex hac refancke mem. decessor meus Pelagius Papa scriperat, robus utile judicavi transmittere; Quem si posito voluntariæ defensionis studio, puro, vigilanteque corde sapius volueritis relegere, eum vos per omnia asecuturos, & ad unitatem nostram reverturos nihilominus esse confido. Quod vero Pelagius Ecclesia quieti, ac Sancti V. Coneilii dignitati propliceret, vim etiam per Smaragdum adhibuit, memor sententia dudum contrâ eosdem Aquilejenses Schismaticos à Pelagio decessore latæ: *Eos ab iisdem Apostolicis sedibus aut attrabi ad salutem quoquo modo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum canonis per seculares comprimi protestates.* Ita unus Narsetem, alter Smaragdum in Schismaticos concitatavit. Adeo vero Synodi V. vindicem Pelagius sese ostendit, ut in Epistolâ tertiatâ ad Istros tria capitula condemnaret, & in eadem etiam cum Quintâ Synodo Origenem inter hereticos rejeicerit, imò cundem omnium heresiarcharum peccatum fuisse pronunciaverit, hæ Apostolico ore tonans: *Quid namque in Heresiarchis Origene deterius? & recitatis magnis Origenis præconibus concludit: Nec illum à reatu proprio favor alienæ attestacionis excusat.*

Obiit Pelagius die 3. Februarii, vacavit Sedes menses septem, peste enim grasaante aliò saluti consulturi diverterant. Scribit Baronius Pelagi mortem tardius Hispanis innotuisse, unde Sanctus Leander Episcopus Hispalensis hoc anno 590. Hispalum Synodus die 4. Novembris celebrans candem ad Pelagium confirmandam transmisit, qui tamè non ab hinc mense mortuus fuerat. Reddo insignis Scriptoris verba ad hunc annum num. 21. *Fuit ista Synodus provincialis, cui interfuerunt octo Episcopi, qui tria in Synodo decreta firmata ad Pelagium, quem vivere putarent, dixerunt. At non ita est. Nam decreta illa directa sunt ad Pegasi, non ad Pelagium. Erat Pegasius Episcopus Astigitanus: est urbs in Hispania Bætica, quam Plinius lib. 3. cap. 1. Coloniam cognomine Augustam Firmam dixit. Quarè cap. 2. ejusdem Epistolæ legimus: *Hanc formam non solum vestra, hoc est, Astigitana scrabit Ecclesia &c. & cap. 1. dicitur: Decessor tuus sancte recordationis Gaudenius Episcopus.* Ex quibus non Pelagium, sed Pegasium legendum esse constat. In magnâ Synodo Toletanâ anno superiori præsente Reccardo celebratâ subscriptus legitur Servandus Diaconus Ecclesiæ Astigitana agens vi-*

cem

# De Synodo Quinta.

55

tem Domini mei Pegasii Episcopi. Quæ dedita operâ adnotavi, quia in notis ad vitam Pelagii II. à Ciacconio editam eundem errorem repetitum legi. Plenumque enim magni Scriptoris nomen finè examine fidem cui libet dicto facit.

Quæ hic usque descripsimus Pelagii Papæ gesta in favorem Synodi V. novitii Origenis defensoris consilium comprimere debuerant; sed cui facile fuit Oecumenicæ Synodi decreta à mille annis ab Ecclesiâ adprobata proscindere, haud eidem Romani Præfusilis functiones rejicere in religionem venit. Quidnam effugii à Pelagii sententiâ tam celebri, tam manifestâ, tam ubique receptâ excogitavit? Pelagium II. ignorantia insimulavit. Dohominis verba, §. 19. pag. 363. scribit: *Pelagium Secundum non vidisse Constitutum Vigilii, & falsis Concilii V. actis deceptum.* Hinc gloriabundus ob publicatum à Baronio Vigilii Constitutionum, quod nec Pelagio, nec Gregorio Magno, cæterisque Pontificibus innotuisse putat, hæc ipsa latè deridicula effatur §. 18. Jam igitur circa V. Concilium faciam, Deo adjuvante, ut aliquid aperiatur, quod perdiu clausum fuit, & id cognoscatur, quod dolo non solùm malo, sed etiam pessimo seculis pluribus latuit. Et est illud quidem ejusmodi, ut ad causam maxime pertineat, & cuius defecta multa falsa pro veris recepta sint, & humano errore ad plurimos transmissa posteros. Hominis, si fas est ita loqui, jactantiam refellam, palamque faciam, hunc Origenis advocatum totius planè causæ ignorantia, quam cæteris falsò impingit, laborasse. Quæso te, Halloix, nullumne verbum unquam Pelagio seniori, nullum pluribus Italis Episcopis, nullum alicui ex numero Clero Romano, qui Vigilium Constantinopolim prosecutus fuit, de hoc laudato Vigilii Constituto unquam excidit? Hi quidem & numero, & dignitate spectabiles illud Vigilii scriptum anno 553. pridiè Idus Maii subsignarant, pro eodem Vigilii Constituto defendendo in exilium deportati sunt, ac diù à patriis sedibus exularunt, hæc quoque ipsa te altius exaggerante. Itane ob recentem Narsetis viæoriam te Auctore Romanum reduces omnium gestorum memoriam perdideré, ut nullum unquam verbum de suis calamitatibus, corumque causis eosdem fecisse existimes? At illi nec Letheis undis sese immerserant, nec dedecori sibi ducebant, devorata pro libertate, ac majestate Pontificis incommoda recensere. Gestorum mentionem sèpè faciebant, queis aliorum animos in nova exempla provocarent, ita ut Vigilii Constitutum tantâ constantiâ, ac fortitudine defensum in ore omnium esset, & Vigilii assedit plurima Byzantii tolerantibus, eâ de re latè per Urbem, in Orbem literæ, ac nuncii volitarent, omnium Occidentalium regionum Episcopis eas in res intentissimis. Qui igitur fieri potuit, ut Pelagius Romanus civis, qui eâ estate florebat, cùm ex Bironio anno tantum quarto, & viceclimo à subscripto Vigilii constituto, ac peractâ Synodo V. federit Romæ Pontifex, cuncta illa ignoraverit? Scito tūm temporis nullum de re sacrâ sermonem in Româna Ecclesiâ eo de tribus capitulis fuisse frequenter, rebellantibus ab Apostolicâ Sede Venetiæ, Istriæ, Rhaetie, ac Norici Episcopis. Sed hoc est agere conjecturis, quæ verborum strophis forte eludi possent ab adversario: res solidius stabilienda est.

Istriæ Episcopos Schismaticos Vigilii decretum, quo tria capitula approbat, remorabatur, ne quin tam Synodus recipieren; dabo eorum verba ad Mauricium Imperatorem in libello supplici transmissa: Vigilio, inquit, tunc Romano Præfuli, atque omni-

bus penè Sacerdotibus damnatio ipsa trium capitulorum sicut reppra contraria Sancto Calchedonensi Concilio execrabilis noscitur extitisse. Qui etiam Vigilius scripta sua per omnes provincias mittens anathematis vinculis obligavit omnem populum, si quis damnationi trium capitulorum præberet aliquid quando consensum. Et licet postea imperiali pondere ad consensem damnationis trium capitulorum ipsorum paulatim singuli tunc fuerint coarctati, nostrarum tamen provinciarum venerandi deceptrors, quibus indigni successimus, prædicti quondam Vigilius instructionibus informati ad hoc inclinare nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propitiante, serventes cum universo populo nobis credito, sequentes etiam in omnibus definitionem Sancti Calchedonensis Concilii capitulorum ipsorum & reverentiam exhibemus, & à communione damnantium cum divina gratia alstinere & gnoscamur. Audit testari illos, se Vigilius in fructu onibus informatos nullo modo posse in trium capitulorum damnatione cum adversariis convenire? Et illi quidem Synodo V. Vigilii sententiam, quod recte tu quoque facis, objiciebant, licet imperiali pondere coarctatum cum cæteris postea subscriptissime fateantur. Sed non modò apud Imperatorem, sed & apud Romanum Pontificem Pelagium II. eam schismatis rationem obtenderunt, quod Vigilii priorem sententiam defendebant; hæc scribit Pontifex Rursus per vestram Epistolam dicitur à Sede Apostolicâ vos doctos, atque ab scrinio Sancta Ecclesia, cui Deo adiutorie presumus, confirmatos, ne huic rei, quæ sub pœna memi. Justiniano gesta est, conscribere debeat, atque banc opitulationem excusationi vestre adjungitis dicentes, quod in causa principio & Sedes Apostolica per Vigilium Prospam, & omnes Latinorum provinciarum Principes damnationi trium capitulorum fortiter resistierunt. En Vigilii decretum in Pelagi faciem à Schismaticis illis sum. At Pelagius Vigilium quidem, aliosque Episcopos Occidentis initio causæ tria capitula defendisse concedit usque ad injurias, ac persecutions, sed tradit re diligentiori postea examine explorata, eosdem à priori sententiâ recessisse, ac Synodum V. postremâ voluntate approbasse. Juvat integrum Pelagii II. responsionem exhibere: In quibus, inquit, verbis ostendimis, quod res, quæ provocare vos ad censem debuit, à consensu vos ipsa dividit. Latini quippe homines, & Gracitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognoverunt, & tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum constantia, quoisque verum cognoscerent, à certamine non quieterit: quorum consensem certè fraternitas vestra despiceret, si ausu precipiti, prius quam verum cognoscerent, consenserent. As postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad injurias usque certatum: hinc vestra fraternitas penserit, quia tot labores repente non relinquenter, nisi quæ vera sint, agnoverint. V des eum recitare molestias, quas Vigilius, Dacius, Pelagius, aliquæ tum Constantinopolis, tum alibi pro defensione trium capitulorum perpetui sunt? Inferius vero Vigilium, in d' Apostolicam Sedem in Vigilio excusans, quod sententiam mutarit in questione facti, hæc reponit: Si igitur in trium capitulorum negotio aliud cum veritas quereretur, aliud autem inventa veritate, dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimen objicitur, quæ à cunctâ Ecclesiâ in ejus Auctore humiliter veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deferens verba permittet? Videsne Vigilii decretum pro tribus capitulis emissum cum veritas quereretur à Patribus in Synodo, at per eandem Synodum inventa veritate

## Dissertatio Historica

veritate illum verba mutasse. Quae omnino consonant iis, quibus sententia mutata causam Vigilius i. & Eutychio dedit testatus, se initio om̄ia studio deinde veritatis invenisse. Non igitur Pelagius II. Vigilius Constitutum ignoravit.

At clamat Halloix: *Pelagium II. Papam non vidisse illud constitutum Vigiliū inde probatur certissime. Certissime? Do aures. Quia, inquit, cum scriberent Istri doctrinam Apostolicā Sedis per Leonem, ac successores ejus esse, mortuum ab hominibus damnari non posse, Pelagius respondit: Nulla ejus testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmarevis. Ex his infert: Si autem Pelagius II. legisset constitutum Vigiliū Papa, ibi eareperisset testimonia Leonis, & Gelasii, & ipsiusmet Vigiliū &c. §. 19.* Illa quidē testimonia in ore erant Schismatistarum, atque ea ante Vigiliū adduxerat Facundus Hermianensis in libris, & Epistolis pro tribus capitulis exaratis. Planè testimonia illa Leonis, & Gelasii non sunt ad rem, nec recte adducta fuisse à Vigilio in Constituto ipso Istri intellexere, unde verba silentes nomen tantum Leonis Magni produxerunt. Sanctus Leo Epist. 89. ad Theodorum Episcopum Foro Juliensem in Galliā scribit eum, qui in peccato mortuus est, non posse ab tolvi post mortem: *Si autem, inquit, aliquis eorum, pro quibus Domino supplicanus, quoquaque interceptus obfuscando a misericordia indulgentiae presentis excederit, & prius quam ad constitutam remedia perveniat, temporaliter vitam humanam condicione finierit, quod manens in corpore non recuperet, conseque exitus carne non poterit.* Idipsum docuit Sanctus Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardanitiae Acacio, qui vivus fuerat ab Apostolica Sede damnatus: *In hac autem, inquit Pontifex, persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstites nec quasvis omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare.* At hoc extra controversiam semper fuit, nec ullus, qui tria capita proscriptis, hoc in questionem vocavit, nempe hominem mortuum & damnatum ob peccata posse ab Ecclesia absolvī, sed questione erat, an qui post mortem haereticus vixisse probaretur, posset damnari; unde recte dixit Pelagius, nullius Romanī Pontificis testimonio opiniorum Schismatistarum confirmari. Et quidē posse tamē damnari post Sanctum Augustinum, & Synodum V. Pelagius I. ac reliqui Pontifices Vigilium Theodori damnationem postremā definitivā sententiā publicantem secuti unanimi consensu pronunciarunt.

## §. V.

*Sanctus Gregorius Magnus Synodum Quintam approbat, ac Schismaticos Episcopos Istric compescit.*

Pelagio Secundo Gregorius ejusdem paulò antē in aula Mauricii Apocrisiarius, licet invitus, ac reluctans, die 3. Septembris suspectus fuit: unus enim calamitoso tempore periculorum magnitudini parem animum gerebat. Huic verò, ut cetera, quæ præclarissima gessit, silentio præteream, maxime cura fuit, Synodum V. ubique recipi, in quam rem toto fere sui Pontificatus tempore incubuit. Initio statim Severum Episcopum Aquilejensem data fidei prævaricatorem (Ravennæ enim tribus capitulis damnatis coram Joanne Archiepiscopo ad Ecclesiam Romanam accesserat) Romanū cum ceteris Episcopis Schismatisticis evocavit. Idem quō metu rebellibus inferret, à Mauricio Imperatore contrā eosdem de-

cretum obtinuerat, quo Severo, ac collegis idem in jungebatur. Hæ literæ Gregorii data sunt anno 590. mense Decembri. Cum verò Principis etiam literas contrā Schismaticos impetrarit, palam fit, initio statim Pontificatus contrā Schismaticos ad Imperatorem scripsisse. Hæ Gregorius Lib. 1. Epist. 16. Severo mandabat: *Inminente latore præscutum juxta Christianissimi, & Serenissimi rerum Domini iussionem ad Beati Petri Apostoli cum tuis sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregatā Synodo de cā, que inter vos vertitur, dubietate, quod iustum fuerit, judicetur. Eandem in rem, ut vicinior, excubabat Joannes Ravennas Episcopus, qui jubente Gregorio egit cum Romano Exarcho, ut Pontificis, atque Imperatoris literæ per Tribunum ad Severum deferrentur. Severus his acceptis mandatis timore statim, ac tremere, qui & læsa fidei, & perjurii reus eset. Illicet tamen literas ad collegas dedit consilium, & opem implorans, qui citio citius Synodum coegerunt in commune confulturi. Hæc autem illis sententia stetit, ne ulius Romanus ad Synodum proficeretur; interim literas ad Mauricium Imperatorem misere, quæ faci rationem reddebant. Libellum supplicem Schismatistarum ad Imperatorem Nicolaus Faber ad Baroniū transmisit, quem appendici IX. tomī magnus annalium Ecclesiasticorum digestor inferuit. Pleudosynodus Severo districtum per literas injunxit, ne quid novi in causā sine communī provincialium consilio liberaret. In literis verò ad Mauricium Augustum datis hæc scribunt: *In hoc tempore iterum cognovimus Reverendum Papam Gregorium ad ejusdem Patris nostri exhibitionem mississe cum sacratissimā vestra pietatis iussione, ut pro causā ipsā communionis ad Romanam debaret cōpitatem deduci. Et quidē memoriam beatissimum Archiepiscopum Severum nostrum frequenti contestatione convenimus, ne nobis absentibus, & a se ad præsens divisus de communī causā Ecclesie aliquid valeat definire. Hæc insuper addentes: Contriti, atque luctu gravissimo saeuiati ad ultimam desperationem pervernimus, ut ad illis iudicium Metropolita nostra cogereretur occurrere, cum quo causa ipsa esse dinoſcitur, & cuius communionem ab initio motionis causa hujus usque nunc decessores nostri, & nos cum omni populo eritamus. Quod verò Imperatori popularium diffensionum metum incuterent, addidere: Sic accensi sunt omnes homines plenum nostrarum in causā istā, ut antē mortem perpeti, quā ab antiqua Catholicā patiabantur communione diuelli. Nec mirum: pravam enim opinionem contrā Synodum V. ex Magistrorum doctrinā viri provinciales in duerant. Illud vefanam eorum mentem publicat, quod Apostolica Sedi judicium declinantes de Catholico dogmate Imperatoris sententiam sequi malling: Sint inducā, inquit, & cum iussione sacratissimi imperii vestri parati erimus ad pedes vestrae pietatis occurrere, & nostrarē fidei, atque communionis plenam reddere rationem. Nam cum quo nobis causa est, & quem in communione vitamus, judicem experiri non possumus; quod etiam sacratissimis legibus vestris statutum est, nullum posse Judicem esse in causā, quā adversarius comprobatur. Sed si- cut semper Deut præsentia Christianorum Principum contentiones Ecclesiasticas sedare dignatur, hoc & nunc fieri supplicamus. Nomina Episcoporum, qui memoratum conventiculum conclarunt, hæc ipsa sunt:**

*Ingeninus Sabionensis in secunda Rhetia.*

*Maxentius Episcopus Juliensis.*

*Laurentius Bellunensis.*

*Augustus Concordiensis.*

*Agnellus Tridentinus.*

*Junior*